OFFICIVM S. FIRMINI

EPISCOPI, ET MARTYRIS,

Cum Oratione, & Lectionibus proprijs,

NOVITER EXTENSVM

Per ſpeciale Decretum Sacræ Congregationis Rituum die 10. Martij 1725.

Ad vniverſa Regna, ac Dominia Sereniſsimo Regi Catholico ſubiecta.

Die vij Iulij.

IN FESTO S. FIRMINI
Epiſcopi, & Martyris,

Patroni Diœceſis Pampilonenſis, totiuſque Regni Navarræ.

Omnia de Comm. vnius Martyris, præter ea, quæ ſequuntur.

Deus, qui per fidei præconium et pacionis agonem B. Firminium Episcopum, et Martirem immortalitatis laurea coronasti: concede propitius, ut cujus celebramus triumphum, assequamur et premium. Per Dominum, &c.

Lectio j. Noct. Script. occ.

IN II. NOCTVRNO.
Lectio iv.

FIrminus Pampilone nobilibus Parentibus Firmo, & Eugenia natus, vnà cum illis à Beato Saturnino Epiſcopo Toloſano baptizatus eſt, à quo, & Honeſto Presbytero, vt Chriſtiana Religione imbueretur, traditus, tantum in ea profecit, vt Regiones circumquaq; Evãgelicis documentis, & vitæ ſanctitate illuſtraret. Epiſcopus Pampilonenſis creatus, terrenis facultatibus in Pauperes erogatis, ad munus Apoſtolicum ſe accingens, cùm intelligeret per vni-

vniversam Galliam inferri sævam Christianis persecutionē, Pampilonâ discedens, multas Galliarum Vrbes perlustravit, atque ab Idolorum cultu innumeram multitudinem Agennensium, & Andegavensium ad Christi fidem convertit; Domino eius doctrinam multis Miraculis confirmante.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

INde Bellovacum petens, cùm pro stirpanda Idololatriæ superstitione plurimùm laboraret, à Valerio Præside comprehensus, & flagellis vsque ad necem cæsus, in carcerem coniectus est. Sergio autem Valerij successori reservatus, eò loco inediam, & squallorem diù patienter tulit: sed vi à Populo liberatus, in ea Civitate diutiùs prædicavit: Ecclesiam in honorem Prothomartyris Stephani, aliasque nonnullas construxit. Inde Ambianum perrexit, vbi quadraginta dierum spatio, multis editis Miraculis, tria Hominum millia ad Christi fidem convertit, sacroque Baptismate abluit. Porrò Sebastianus, & Longinus Præsides, cùm certò scirent, Firmini prædicatione multas suæ Provincię Vrbes, Idolis contemptis, Christum colere, Treveris Ambianum quàm celerrimè advenerunt: & Firminum graviter obiurgatum, quòd contra Imperialia edicta novam Religionem induceret, in carcerem detrudunt. At Populi seditionem veriti, intempestè noctis silentio eum capite plecti iusserunt, septimo Kalendas Octobris.

℟. Desiderium Animæ.

Lectio vj.

EIus Corpus Faustinianus Senator, qui ab ipso Firmino fuerat lavacro Baptismatis regeneratus, clàm sepelivit: quod ibi latuit vsque ad Theodoricum Regem: quo tempore Salvius Venerabilis Ambianensium Antistes assiduis precibus à Deo impetravit (ingenti super Sepulchri locum lumine radiante; & ex eodem suavissimo odore ad vicina vsque Oppida flagrante) Sancti Martyris reliquias sibi revelari. In quarum translatione elementa etiā ipsa visa sunt ei obsequium præstitisse. Nàm Idibus Ianuarij cùm hiems esset horrida, subitò omnes Regionis arbores floribus, & folijs virentibus vestitæ, prata lilijs, ac rosis plena omnibus arridebant. Denique multi ægroti, & infirmi ob merita Sancti Firmini illa die integram sanitatem recuperârunt. ℟. Stola iucunditatis.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Evangelij, secundùm Ioannem, *cap. xij.*

Lectio vij.

IN illo tempore, dixit Iesus Discipulis suis: Amen, Amen dico vobis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuũ fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 31. in Ioann. sub medium.

IPse Dominus Iesus erat granum mortificandũ, & multiplicandum: mortificandum infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide Populorum. Iam verò exhortans nos ad Passionis suæ sectanda vestigia: qui amat, inquit, Animam suam, perdet eam. Quod duobus modis potest intelligi. Qui amat, perdet, id est, si amas, perdes: si cupis vitam tenere cum Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo: qui amat Animam suam, perdet eam; noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.

℟. Corona aurea.

Lectio viij.

HOc autem, quod posterius dixi, magis videtur habere Evangelicus sensus. Sequitur enim, & qui odit Animam suam in hoc Mundo, in vitam æternam custodit eam. Ergo quod supradictum est, qui amat, subintelligitur, in hoc mundo, ipse vtique perdet: Qui autem odit (vtiq; in hoc Mundo) in vitam æternam ipse custodit eam. Magna, & mira sententia! quemadmodum sit Hominis in Animam suam amor, vt pereat: odium, ne pereat: Si malè amaveris, tunc odisti: si benè oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

℟. Hic est.

Lectio ix.

SEd vide, ne tibi subrepat, vt te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes in hoc Mundo odisse Animam tuam. Hinc enim quidam maligni, atque perversi homines, & in semetipsos crudeliores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit, imò etiam sibi præcipitium Diabolo suggerenti respondit: Vade Satana. Scriptum est enim: Non tentabis Dominum Deum tuum, Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum: Cùm esses Iunior cingebas te, & ambulabas quò volebas: Cùm autem senueris, alter cinget te, & ducet, quò tu non vis. Vbi satis expresit, non à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.

Te Deum.

AD MISSAM.

Introit. Gaudeamus. *Epist.* Charissimi, omne gaudium existim. te. *Evang. de Offic. invenit. post Miss.* Lætabitur. *Cætera omnia, ut in Miss.* Sacerdotes Dei.

HISPANIARUM.

PErventis ad S. M. Clementem PP. XI. nondum pijs Serenissimi Hispaniarum Regis Instantijs, quàm enixis Eminentissimorum Dominorum Cardinalium, Archiepiscopi Hispalens. & Episcopi Carthaginens. necnon Reverendissimorum Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac Capitulorum Ecclesiarum Hispaniarum precibus, quibus supplicatum fuit, quatenùs, ad satisfaciendum maximæ devotioni erga Sanct um Firminum Episcopum, & Martyrem, quæ in tota Hispania summoperè viget, extensionem Officij sub ritu duplici cum illius Oratione, & Lectionibus proprijs, iam sub die xi. Decembris 1604. à Sac. Rituum Congregatione prò Civitate, & Diœcesi Pampilonensi approbatis, ad cuncta Hispaniarum Dominia benignè concedere dignaretur, eisque ad Sac. Rituum Congregationem remissis, unà cum novis ipsius Serenissimi Regis litteris Sanctissimo Domino nostro BENEDICTO PP. XIII. nuper exhibitis, ac per Eminentissimum, & Reverendissimum D. Cardinalem Pico, pro Eminentissimo, & Reverendissimo D. Card. Belluga relatis, Sac. eadem Rituum Congregatio, tàm in scriptis, quàm in voce Reverendissimo Prospero de Lambertinis Archiepiscopo Theodosiæ Fidei Promotore audito, huiusmodi Instantiæ annuendo, suprascriptum Officium Sancti Firmini cum Oratione, & Lectionibus proprijs, prout iacent, sub ritu duplici, servatis tamen Rubricis Breviarij, & Missalis Romani, in omnibus Regnis, ac Dominijs Serenissimo Hispaniarum Regi Catholico subiectis ab omnibus Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus utriusque sexus, qui ad horas Canonicas tenentur die 7. mensis Iulij in posterum recitari, & Missam propriam respectivè celebrari posse censuit, si Sanctissimo D. N. visum fuerit. Die 10. Martij 1725.

Factâque deindè de prædictis per me Secretarium Sanctissimo D. N. relatione, Sanctitas sua benignè annuit. Die 26. eiusdem mensis, & anni 1725.

F. Cardinalis Paulitius Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Archiepiscopus Apamenus S. Rit. Congr. Secretarius.